



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Julianus M. 9. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

obiisset. Et tamen sine plumis in cælos evolavit anno M.CCCC.X. cùm justa illi homines inter Angeli persolverent, funeris dicam tibicines, an virtutis buccinatores? Ex Surio.

Vtinam saperes, quæ Dei sunt! intelligeres, quæ mundi sunt! provideres, quæ inferni sunt! profecto inferna horreres, superna appeteres, quæ ad manus sunt, contemneres. S.Bernard.in Ep.

S. JULIANUS M. 9.Ianuarii.

IULIANVS unicus parentum clarissimorum filius primam ætatem Musis consecravit. Eæ virgines in clientis sui pectus amorem virginitatis cum literis instillarunt. Sed obstitere votis parentes, castas aures Hymenæo identidem pulsantes. Itaque à cælo antè per somnum armatus BASILISSAM duxit. Verum precantes thalamo cælestis primum odor afflavit; mox de servando pudore piè sermocinantibus cùm MATRE aliisque Cælitibus CHRISTVS supervenit, qui &c audentibus animos addidit, & utriusque nomina vitæ libro descripta ostendit. Ita virgo obiit BASILISSA; JULIANVS verò etiam Martyr; qui dum ad ludibrium totâ urbe vinclitus circumducitur, CELSVS, mali Judicis non malus filiolus, conspicatur eum non tam inter lictorum, quam Cælitum manus inambulare. Pedes proinde martyris complexus, & Christum puer non pueriliter, & ipse fassus, cum JULIANO ad ignem damnatur. Sed virtus proba è flammis splendidior nimirū exit, crescitque, matre etiam Celsi ad Christū adductâ. Caput demum omnibus sub annum Christi CCC.XI. auffertur. Sed neque sic locus coronæ defuit. Ex Sur.

Qui igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo

10.Ian. VITÆ SANCTORVM. 33
homo solus super terram habitans, adeò nihil cura est ei
gloria & ignominia. S.Chrysost.hom.52.in Acta.

S. MARTIANUS CONF. 10.Ianuarii.

NOvit MARTIANVS maximæ Ædi Byzantii præpositus orationem, quò cælos & certius, & citius peteret, alatam reddere, creberrima illi jejunia & eleemosynas jungendo. Multus præterea in extruendis cœnobiis templisque fuit; monumentis, quæ ferè unica in mortali homine immortalia Devs probat. Plenam, quoties foras prodixit, manum circumtulit, cum vacuâ nullum à se inopem passus abire. Veste, quam diu vixit, non nisi unicâ semper usus, hac etiam, cum nulli ad manum nummi essent, se exuit, & egenum induit, sed divite lucro: quippe qui deinde cum seminudus pro arâ divinum cibum in populum partiretur, aureâ palam à cælo veste ornati visus est, ut planè jam quæstum quæsiisse, & pro paupere togâ meliorem ambiisse videri possit. Noctu porrò vigil pius urbem obambulabat, vel quibus tunc etiam benefaceret, egenos, vel quos lotos domi curatosque terræ mandaret, mortuos quærens; ex quibus non pauci revixisse inter studia tam sancta memorantur, & alterum vitæ parentem MARTIANVM salutasse. Jam grassantem in templum suum crudeliter flamمام medius ipse objecto Evangelicæ historiæ volumine stitit, precibus domuit, lacrimis extinxit. Secundum hæc aliaque mira, templo, quod ultimum ædificabat, & vitæ finem unâ imposuit. Ex Metaphraſte apud Surium.

Manducat Deus in celo panem, quem percepit pauper in terra. Da ergo panē, da potum, da vestimentum,